Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 685

Quelle:
Copyright:

ſcopi in canticum quindecim graduum, cui adjecit manus Sec XV. *Qui perlegitur per 7. annos.* Puto de Lectione in Triclinio religioſae cujusdam Familiae intelligendum eſſe.

CCCXXIX.

R. 10 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 144. f. maj. elegan-ter per duas columnas exaratus, rubricisque diſtinctus, olim *Congregationis S. Juſtine de padua, deputatus in monaſterio ſancti ſeueri-ni de neapoli*, ut ad oram infimam *fol.* 1. dicitur, varia D. *Auguſtini* continet Opera, et hoc quidem ordine: I. *Sermones* LVI. atque inter eos, quod non niſi poſt diligentem inquiſitionem adſero, XXV. ignotos, ἀνεκδότους, et, niſi me omnia fallunt, paene omnes *Auguſtini* genuinos, quos etiam typis *Trattnerianis* in lucem dedi a. 1792. f. unde mirum *Codici* huic pretium conciliatur, qui *Benedictinorum* fuit, et maxime oculatos *Benedictinorum*, *Maurianos* nempe, effugit. Praemiſſus eſt illis Elenchus, in quo *Sermones* ſinguli *Capitum* donantur nomine, quique ſic habet: *Sermo de laude Cerei. Capitulum primum.* Inſcriptio *fol.* 1. p. 2. *Sermo ſancti aug. ep. In Sabbato ſancto.* Init: *Deo et domino noſtro omnipotenti uiſibilium atque inuiſibilium creatori honorem deferens. orationibus ueſtris iuuandum me credo. ut quod in laudem et gloriam indulgentiſſimi creatoris dicere ſuſcepi. non tam meis uiribus quam ipſius domini miſericordia adiuuante explicare ſufficiam.* Finit: *Quis non letus aſpiciat, iacere ſuper terram catulum leonis occiſum.* Confirmatur hoc Sermone *Cerei Paſchalis* antiquitas, cujus ellychnium etiam hic Autor papyrum vocat: *Tria conſpiciuntur in cereo. Cera papirus et flamma.* Quod adde *Ducangio* v. *Papyrus.* Ubi edit. *Maurianae* non meminero, Sermonem novum puta.

Item eiusdem. In uigiliis paſchę. Cap. II. Inſcriptio *fol.* 2. *Sermo Sancti Aug. ep. in uigiliis paſchę.* Init: *Multas diuinas lectiones audiuimus. quarum prolixitati parem ſermonem nec nos ualemus, nec uos capitis ſi ualeamus. Quantum ergo dominus donat. loqui uolumus caritati ueſtrę de ipſo capite ſcripturarum. ubi cum legeretur audiuimus. quia in principio fecit deus cęlum et terram.* Finit prolixus: *niſi in ęternum uiuerent abraam. yſaac. et iacob.*

Alius ejusdem. In die paſchę. Cap. III. Inſcriptio *fol.* 4. *De die paſchę. Sermo ſancti aug. ep.* Init: *Poſt laborem preterite noctis* &c. Edit. *Maur.* T. V. Sermo 228.

Alius de ſacramentis in eodem die. Cap. IV. Inſcriptio *fol.* 4. p. 2. *Incipit alius de ſacramentis in eodem die. Sermo ſancti aug. ep.* Init: *Reddendi ſermonis officium et cura qua uos parturiuimus, ut chriſtus formaretur in uobis. compellit nos ammonere infantiam ueſtram.* Sermonem hunc illum puto, de quo *Auguſtinus Serm.* mox ſupra *cit.* ait: *Sermonem ad altare dei debemus hodie Infantibus de Sacramento*